

D. F. G.
NONNULLI APHORISMI,
CURAM
SUMMI
IMPERANTIS
CIRCA
CULTUM DIVINUM
DELINEANTES,

Quos

Suffrag. Amplif. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboëns.

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI

D:NI PETRI KALM,

Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord.

Reg. Acad. Scient. Holm. nec non Societ. Lit. Upf
MEMBRI,

PRO GRADU,

Bonorum disquisitioni modeste submittit


HENRICUS SUND,

V. D. M.

OSTROBOTNIENSIS.

In Aud. Majori die VII. Junii A:no MDCCLX.

H. A. M. S.



ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL,



APHORISMUS I.

Religionem esse primarium felicitatis veræ fundamentum, nemo, qui modo sana scrutinii lance rei pensitaverit naturam, ignorabit. Nam argumenta, quibus hæc adstrui potest veritas, e longinquo non esse petenda vel ipse creationis finis & consideratio naturæ nostræ sudo clarius ostendit. Finem creationis totum quantum in gloria divina illustranda verti omnes, quotquot sanæ sunt mentis, agnoscunt; sed illustrationem hanc non nisi per religionem fieri, promoverique, immo in totum absolvi, ut simul agnoscant necessum est; Hinc quo conformior perfectionibus Divinis religio est, eo magis ad gloriam Divinam amplificandam confert; & vicissim

fim quo magis hæc ad gloriam Dei con-
 fert, eo majori genus humanum exornat
 felicitate; nam quis est, qui non videat,
 eam naturæ nostræ esse indolem, ut non
 possit non per actiones gloriæ Divinæ ad-
 versantes in infelicem detrudi conditionem,
 quæ licet quod ad externam speciem haud
 raro florescere videatur, tandem tamen ad
 instar frugum in defectu humoris succosi
 marcescit. Sine religione genus humanum
 potius colluviem bestiarum propriam rui-
 nam citius serius accelerantium, quam cœ-
 tum rationalium repræsentat; ut nihil de i-
 ra Divina, quæ officiorum, quæ religio no-
 bis injungit observanda, neglectu ad vin-
 dictam exigendam provocatur, dicam; quum
 ex dicendis, quantumvis paucissimis, pa-
 teat, conservationi generis humani nulla al-
 lia ratione, quam genuina religionis cura
 consuli posse. Et licet religio externam
 temporalem civilemque securitatem, & ea-
 dem se innitentem felicitatem, non pro pri-
 mario habeat fine; ita tamen felicitas hæc
 civilis religione involvitur, ut sine illa ne
 concipi quidem, nedum florescere queat.
 Dic quæso! quænam pactorum sine religi-

one foret constantia? certe nulla. Ast civitatum constituendarum, conditarumque conservandarum in pactis ineundis pie sancteque servandis cardinem ex toto verti vel talpa cæcior videt. Proscripta itaque religione, ceu ipsa fidei, regi aliisque hominibus præstandæ, anima; evanescent, ceu svavia somnia, ipsæ civitates.

APHOR. II.

HOc, quod in Aph. I:o attulimus, si non primum certe nec ultimum sibi vindicat locum inter causas, cur Reges tam Ethnici quam Christiani de certo quodam cultu Divino adeo solliciti fuerint, ut historia satis superque testatur. Apud gentiles, licet religio, si ita eam vocare liceat, ordinis in societate conservandi causa nec non plebis, quæ variis prævaricationibus Deorum iram excitasse credebatur, iis reconciliandæ & perversorum corrigendorum morum atque improborum a malitia deterrendorum gratia viguerit; Nihilo tamen minus cultus eorum, quum lubrico superstructus fuerit fundamento, & in actionibus e diametro perfectionibus Divinis repugnantibus fere semper constiterit, homines

ad

ad superstitionem & idololatriam exercendam perduxit. Hinc monstrosissimi in illorum mentibus producebantur fetus, qui in mores depravatos, inordinatos affectus, societati humanæ maxime nocivos, imo, sæpissime in factiones bellaque intestina prorumpabant, omniaque ad reipublicæ felicitatem conferentia ad incitas redigebant. Christiani vero religionem cultumque Divinum eum in finem præcipue adhibuerunt, ut omnes Deum rite cognoscerent & cognitum pia mente venerarentur, hoc est, ut motiva actionum suarum instituendarum ex perfectionibus Divinis rite recteque cognitis depromerent. Hæc si quis paulo attentius examinaverit, sine omni difficultate videbit, id quod in primo Aph. jam brevissimis demonstratum ivimus sua eademque luculentissima radiare luce, hoc est, religionem esse ultimum idemque firmissimum non modo societatis humanæ universalis, sed & rerum publicarum in ea omnium robur ac firmamentum. Hæc enim efficit, ut cives Imperatori suo firmiter adhæreant & eum ubique debita prosequantur veneratione; hæc efficit, ut legibus, quas Princeps civibus

aliquando

observandas præscribit, conformiter vitam suam instituant concordiamque mutuam pie sancteque colant; Hæc denique, ut reliqua brevitati litantes sicco transeamus pede, efficit, ut cives constantem habeant animum patriam injuriis laceffitam defendendi vitamque pro eadem ponendi. Et hinc ulterius patet, in quantum Imperatori injunctum sit, ut curam religionis agat habeatque tenerrimam. Qua de re nonnulla pro modulo virium in medium proferre animo nobis proposuimus, certo certius sperantes fore, ut B. L. hæc quantumvis paucissima languidaque Minerva adumbrata æqui bonique consulas.

APHOR. III.

IN antecedentibus quasi summis attigimus digitis religionem mirum in modum promoveri felicitatem civilem; sed hæc non de quacunque religione intelligenda esse, quivis, vel nobis non monentibus, videt; quia religio, quæ actibus cum perfectionibus Divinis inimicis cornibus dimicantibus absolvitur, tantum abest, ut florem civitatis, qua par est, efficacia promoveat, ut potius eundem sensum tabescere faciat, quamvis

quamvis splendida & ad statum civilem accommodata videatur. Hinc itaque omnium primo cura Summi Imperantis eo tendere tenetur, ut religio vera perfectionibusque Numinis rite cognitis conformis in finibus territorii ipsius vigeat floreatque. Hanc tamen non armis conscientiae civium intrudendam esse res loquitur ipsa; quia interna animi de veritate religionis convictio hac in re utramque facit paginam; verum hæc non armis in animis civium, sed rationibus indubiis certisque principiis innixis producitur; præterquam quod propagatio religionis per arma ipsum civitatis finem, qui Imperatori securitatem civium contra pravorum insidias defendendam & felicitatem communem promovendam injungit, arietet & penitus evertat. Prudentia itaque potius hac in re Princeps majora efficere potest quam armis, ut exemplo Regis nostri immortalis memoriæ GUSTAVI primi plus satis constat, qui incomparabili prudentia omnia obstacula atque impedimenta, quibus Romæ cultores religionem nostram sanctissimam impugnare allaboraverant, felicissime removebat. Commoda, quibus religio

legio vera præ falsis civitatem cumulat, eamque ob rem ut promoveatur facta tectaque fervetur digna est, sunt evidentissima, adeo ut his enumerandis immorari supervacaneum sit. Falsæ enim religiones, ut cætera taceam, ejus modi continent dogmata, quæ non solum veram felicitatem destruunt, verum etiam facillime in superstitionem reipublicæ perniciosissimam degenerare possunt.

APHOR. IV.

UT religio vera in civitate floreat facta tectaque maneat, necessarium est, ut cives, quorum interest, cura omni vera eademque sufficiente Numinis, ejus perfectionum atque voluntatis cognitione imbuantur. Nam quis est, qui ignoret, veram religionem cultoribus suis injungere, ut motiva actionum suarum suscipiendarum ex folis perfectionibus Divinis, ceu genuinis, quibus vera felicitas innititur, principiis, deducant, quod sine sufficiente harum cognitione fieri nequit. Obstringitur itaque summus Imperans, ut hac in re præstet, quod suum est, hoc est, ut scholas atque Academias non solum constituat, verum etiam, ut constitutas ita dirigat, ut fini intento

tento faciant, quod satis est. Requirit prudens atque circumspecta Principis cura, ut illi, qui ob probatam in rebus religionem spectantibus doctrinam atque pietatem ecclesiis instruendis dirigendisque præfecti sunt, ad rationem reddendam provocentur, ut illi, quorum interest, cognoscant, quomodo muneri ipsis injuncto satisfecerint. Præterea requirit tam religio conservanda quam finis civitatis, ut princeps dispiciat, ne controversiæ in dogmatibus religionis exortæ falsæque doctrinæ aliquid detrimenti civitati adferant: Huic malo, ut melius feliciusque cura Principis mederi prævenireque queat, necessum est, ut omnia scripta, priusquam prelo subjiciantur interque cives publicentur, ab illis, quibus hoc commissum est munus perlegantur, ne quid contineant, quod religioni atque paci publicæ promovendæ adversatur. Nam mala in ipsa herba facilius supprimuntur, quam postquam adoleverunt viresque acquisiverunt.

APHOR. V.

Quemadmodum ad conservationem religionis veræ hoc, ut omnes cives unam eandemque agnoscant religionem mi-
B
rum

rum quantum facit, ita & quam maxime
 flori civitatis promovendo conducit; quia
 per unitatem religionis concordia civium mu-
 tua facilius inconcussa manet & fomites di-
 scordiarum supprimuntur, quibus diversitas
 religionum haud raro non unam aut alte-
 ram regionem, sed plura imperia in miser-
 rimam detrusit conditionem. Tenetur ita-
 que Princeps, ut in hoc quoque momento
 stationi suæ, qua par est, prudentia invi-
 gilet. Ast si defectus incolarum atque com-
 mercia cum exteris exercenda diversitatem
 religionum persuadent, circumspecto ut hac
 in re Princeps utatur consilio necessum est,
 hoc est, dispiciendum est, ne diversitas quid,
 quod statui civitatis, tranquillitati publicæ
 venerationique regi atque legibus præstan-
 dæ adversatur, in sinu suo foveat, & ne
 veræ religionis propagationi insidias struere
 queat. Conducit itaque, ut liberam religio-
 nis propagationem illis, qui falsæ religioni
 sunt addicti, prohibeat, & ne verbis aut
 scriptis contumeliosis se invicem laceffant
 neque disputationes in capitibus religionis
 sine speciali Principis venia instituantur,
 caveat; dispiciat denique, qua ratione fal-
 sæ

sæ religionis socii tandem de veritatibus religionis
 veræ convinci & ad eandem amplectendam allici
 possint. Interea tamen, ut Princeps se erga omnes,
 cujuscunque sint religionis quod ad juris admini-
 strationem officiaque humanitatis, æque benignum
 atque clementem exhibeat, necessum est. Nam li-
 cet religionem veram tenerrimo veneretur amore,
 ita tamen illi faveat, ne alienæ religionis sociis quod
 æquum justumque est deneget, ne occasionem va-
 ria civitatis fini repugnantia consilia capiendi arri-
 piant.

APHOR. VI.

Licet cultus internus in solis cordis obstrusis lo-
 cis peragatur eamque ob rem potestatis civilis
 directioni non sit obnoxius, quum tamen cultus ex-
 ternus internum variis modis promoveat, augeat,
 atque ne variis externis actibus scandalisque suffocetur,
 haud raro præveniat, Imperantis est cultum ex-
 ternum ita attemperare, ut interno non officiat sed
 potius ut eidem in quantum fieri potest, promo-
 vendo conservandoque sufficiat; quod ex voto ut
 succedat, haud supervacaneum est, curam summi
 Imperantis se extendere tam ad cultum privatum
 quam publicum. Ille pietatem uniuscujusque figil-
 latim spectat. In eo Principi observandum, ne quis
 sub prætextu pietatis suæ exercendæ id agat, unde
 aliquid detrimenti in rempublicam redundaturum
 foret. Hic scilicet cultus publicus auctoritate Magistra-
 tus in certis locis conductis diebus & ritibus tam divinis
 quam humanis paragitur. Hinc Summi Imperantis est,
 commoda ex religione promanantia ita applicare, ut
 potestas ecclesiastica cum civili concilietur; & quem
 admodum

admodum Princeps debet omnia, quæ civitatis scopum concernunt, curare & dirigere in salutem publicam, ita illi competit jus circa sacra; quum hoc cum salute reipublicæ arctissime sit conjunctum. Consequentur suo juri ex pactis prius concesso ut possit ac debeat Princeps ea, quæ ad cultum publicum pertinent, & quatenus id permitat typus doctrinæ atque membrorum ecclesiæ conscientia, ordinare, hujusque & reipublicæ securitatem statutis præmunire, ne vel erroneis præceptis doctrinisque, vel acerbis litibus & civitas & ecclesia conturberetur. Si Lites in ecclesia excitentur ejusmodi, quæ dogmata & adiaphora spectant, Principis est, discordias moventes comprimere, motas sedare lites & contranitentes graviter punire. Porro, si contigerit, ut plures. religiones in uno territorio vigeant, requirit finis civitatis & mutua civium concordia, quibuscunque licitis modis promovenda atque conservanda, ut Imperans, in quantum bona religionum pace fieri potest, summam navet operam, ut in externis ritibus & ceremoniis quædam sit convenientia, & ut illi, qui religionis suæ usum negligunt, Deum cultumque Divinum contumeliosis scommatibus adficiunt, dies sacros religionisque usui destinatos profanant & qui patrant cætera ejusmodi typis religionum adversantia, justis & severis coërceantur pœnis, ne pravus suis adfectibus indulgere Divinaque dogmata diris persequi cum detrimento reipublicæ perseverent. Forent adhuc multa in nobilissima amplissimaque hac materia, quæ ut allatis adjiciantur, promerentur, sed variæ rationes, ut hisce filum abrumparamus, persvadent.

SOLI DEO GLORIA.
